Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3087
Quelle:
Copyright:

ſtislaum Decanum *Sacenſem*, Curiae Archiep. *Pragenſis* Officialem, Decrett. Doctorem, et S. *Georgii* Canonicum, *Eliſabethae* Abbatiſſae fratrem germanum, quamvis jam a. 1347. praemortuum, me repugnantem non habebit. Vide de eo *Hiſt.* mox. *cit.* pp. 7. 17. et 97. Adeſt praetea rudior quaedam, minorque Pictura, qua D. *Catharina* B. Virginem veneratur. Atqui teſte eadem *Hiſt.* p. 98. *Cunegundi* Sec. XV. initio ſuffecta eſt Antiſtes *Catharina* nomine. Adſcribam pro coronide Verſiculos, quos interpolator ille amatorius ſupra memoratus calci adjecit:

Ach kak welmi boli
Kdiz trdlem hlawu boli.

Wſſak wicze boli
Kdiz mila ginebo zwoli.

Quaſi dicas: Ah quam vehementer dolet, dum caput fuſte tondetur! Sed vehementius dolet, dum Dilecta alium deligit. *Fuſte tonderi* adludit ad crudelem morem, quo *Ziſca* caecus Monachorum capita tactu explorabat.

DCCCLVIII.

8 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 299. f. max. mandato et ſumtibus *Friderici* III. Rom. Imp. ſcriptus, ac multo auro, variisque picturis ſplendidiſſime exornatus, ut ſuadent ejus inſignia, nomen, ſymbolum et monogramma, quae *Fol.* 10. exhibentur cum hujusmodi inſcriptione literis aureis: *Fridricus rex &c. 1447.* qui numerus anni una cum inſignibus, ſymbolo et monogrammate rurſus adeſt *Fol.* 25. laborem vero ſcribendi in annum alterum productum fuiſſe, argumento eſt numerus 1448. in *Fol.* 279. *pag.* 2. minio conſpicuus. Primum Cod. folium *pag.* 2. picturatum eſt, viſiturque in eo Rex barbatus cum Regina ſolio inſidens ſub templi cujusdam fornice. Circumſtant ab utroque latere viri tres, quorum, qui dextrum tenent, Clericorum ſpeciem praebent; qui ſiniſtrum, habitu Poloni, aut Hungari videntur. Continentur autem hoc Codice poſt *Calendarium* Divina Pſalmodia, ſeu, *Horae*, ut vocant, *Canonicae* in praecipuis totius anni diebus feſtis Deo canendae, quarum Index *Fol. ult. pag.* 2. repraeſentatur. Adhaerent a *Fol.* 247. *Vigilie mortuorum. Curſus de Compaſſione Marie.* Varii Pſalmi, qui ibi voce hybrida *Lobpſalmi* vocantur cum *Litaniis majoribus.* Varia *Suffragia* v. g. *de maieſtate chriſti, de facie Salvatoris, de S. Spiritu &c. Modus peccata ſua confitendi*, qui diffuſam explicationem omnium officiorum hominis chriſtiani continet, demum *Horae Canonicae* in feſtis *S. Martini Epiſcopi et Conf. S. Catharinae Virg.* et *S. Andreae Apoſtoli* recitandae.

Meminit Codicis hujus *Lambecius Comment.* L. II. p. 782. edit. *Kollar. col.* 591.

DCCCLIX.